R. A. 7. Decemb. 1652.

VOTA ET MOTIVA A PROCESSV APPELLATIONIS DOCTORIS IOANNIS VINCENTII LA SERRADA, SVPER APPREHENsione, in Regia Audientia habito, & actitato.

IN DEI NOMINE Amen. Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, die vero computato septimo mensis Decembris, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Ciuilis Regiæ Audientiæ interuenerunt Magnifici Domini DD. Ludouicus ab Exea, & Talayero, Regens Cancelleriam, Didacus Canales, Ioãnes Baptista Alegre, Gaspar Lupertius Taraçona, & Petrus Cauero Regij Consiliarij, coram quibus fuit possitus processus appellationis Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada, super apprehensione. In quo tres ex dictis Magnificis Dominis Regijs Consiliarijs fuerunt voti & opinionis, quod att. cont. tenetur & debet pronuntiare, & declarare per Iudicem à quo male fuisse, & esse pronũtiatũ, & per Doctorẽ Ioannẽ Vincentium la Serrada prin. Mi. Hie. Rios Proc. bene ad hanc Regiam Audientiam appellatum, & reformando sententiam Iudicis à quo, in bonis in fine appellitus præsentis apprehensionis cõfrontatis mandare fieri contenta in propositione dicti Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada prin. dicti Proc. Præstita prius cautione forali, cæteris propositionibus reiectis & repulsis, reseruatis iuribus, reseruari supplicantibus, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO præsertim, & alias reformando sententiam Iudicis à quo, recipitur propositio oblata pro parte Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada, repulsa oblata pro parte Licentiati Iosephi Segura, quoniam aperte constat de legitimo titulo illius, ac possessione in Canonicatu apprehenso tempore oblatæ appellitus præsentis apprehensionis. Repellitur vero Licentiati Iosephi Segura propositio, quoniam se includit cum quadam gratia Apostolica conditionali eiusdem Canonicatus, cuius effectus pendet à verificatione inhabilitatis, & incapacitatis prouisi à Capitulo Canonicorũ Sedis Oscensis, coram Executoribus dictæ gratiæ, quibus in casum adimplementi tantum specialiter comissa est, & demandata à Romano Pontifice collatio & prouisio dicti Canonicatus, vt indicant illa verba Bullæ eidem Iosepho Segura conferre & assignare curetis, interim enim quod pendet conditio, & verificatio inhabilitatis, nec collationem fieri posse,

nec aliquod ius habere in re, nec ad rem quo ad effectum vtendi dicta gratia pro comperto habetur, cum conditio pendens nihil ponat inesse, ac per consequens, nec saltim titulum coloratum habere dictum Iosephum Segura ad obtinendum in hoc articulo in aperto est, siue causa decidenda sit per Forum *Por quanto*, tit. *de Apprehensionibus*, siue per Foros antiquos de *Prælaturis*, cum in vtrisque titulus requiratur. Et quoniam ad eam verificandam, nixus est in dispositione Fori noui tituli de *Prælaturis æditi sub anno 1646.* in Curijs Generalibus huius Regni excludentis omnino Francigenas, & eorum filios, ac nepotes per lineam paternam descendentes tam natos, quam nascituros in præsenti Regno ab omnibus Prælaturis, Dignitatibus, & Beneficijs Ecclesiasticis, pensionibus cuiuscumque paruæ quantitatis, ac valoris, & totis viribus conatus est probare ad suam intentionem fundandam, & pro probanda incapacitate Doctori la Serrada eius patrem nempe Bernardum la Serrada fuisse Francigenam filium Arnaldi la Serrada, & Laurentiæ la Casaña naturales & originarios Villæ de Armenac in Regno Franciæ, dictumque Bernardum vti Francigenam in Ciuitate Oscæ vbi matrimonium & domicilium contraxerat, & locis alijs vbi mercaturæ artem exercuit habitum semper pro Francigena communiter & publice reputatum fuisse, quod dictus Segura non solum testibus de huiusmodi reputatione & fama concludentibus plenè & concludenter demonstrauit, sed etiam in eorum fomentum adduxit instrumentum pactorum dotalium inhitorum inter dictum la Serrada, & Mariam Boria in Ciuitate Oscæ sub anno 1599. vbi sunt hæc formalia verba: *Comparecieron Bernat de la Serrada mercader natural de la Villa de Aamenac del Reyno de Francia, hijo de Arnaut de la Serrada y Lorença la Casaña de la misma Villa, con interuencion, &c.* Quæ valde vrgent ad persuadendum dictum Bernardum patrem dicti Ioannis Vincentij la Serrada fuisse Francigenam natum in Villa de Armenac, filiumque Arnaldi in eadem Villa nati & domiciliati, quibus accedit pro adminiculo dictorum verborum probatio consanguinitatis, licet non appareat in quo gradu Doctoris la Serrada, & Simeonis la Casaña, qui vt tales consanguinei inter se tractantur, quæ omnia non parum mouere potuissent ad intelligendum veram esse incapacitatem fori oppositam aduersus dictum Doctorem la Serrada prouisum in dicto Canonicatu per Capitulum: sed quia exaduerso ille in sua cedula replicæ proposuit patrem eius Bernardum fuisse natum in loco de Lasa, situato in inferiori Nauarra prope Villam Sancti Ioannis Pedis Portus, filiumque fuisse Petri la Serrada, alias Serratia, & Mariæ Vrrutia, ibidem in dicto loco de Lasa natorum, & domiciliatorum: Tum etiam id omne probauerit cum testibus nouem receptis in dicta Villa Sancti Ioannis Pedis Portus coram Iuratis, Iudicibus Ordinarijs dictæ Villæ, & Loci cum plica articulorum, eisdem in iuris subsidium remissa, & ad maiorem cautelam, vno ex Notarijs huius causæ tradita ad finem, & effectum, vt coram eo reciperentur, & examinarētur testes, prout ipse postea reuersus relationem fecit, quod ita seruatum fuerat, & seruando diligenter finem mandati, tradit informationem sumptam, clausam, & sigillatam. Vbi iussu Locumtenen-

nen-

nẽtis Curiam tenentis aperta fuit, qui testes de visu deponunt cognouisse Petrum la Serrada, & Mariam Vrrutia, in dicto Loco de Lassa, commorando in propia domo pro toto tempore vitæ illorum, fuisseque natos, & originarios dictæ Villæ, parentesque fuisse dicti Bernardi, quem similiter cognouisse affirmant, & vidisse ab eis vti filium tractasse, & habuisse, ac denique sciuisse, tam Petrum la Serrada, quam eius filium Bernardum, baptizatos fuisse, Petrum de auditu maiorum, quos nominant, & fama publica, & Bernardum de visu aliquorum dictorum testium alio rum de auditu, eorundem maiorum, quibus atestationibus adherent tria testimonia aliorum extra publicam id ipsum deponentium de visu. Cui probationi, & si plenissima sit maximè ei iuuant duo instrumẽta originalia legalizata, alterum scilicet testamenti Petri la Serrada, testificati in dicta Villa Sancti Ioannis Pedis Portus, sub anno 1612. in quo asseritur quod dictum Petrum testator legat filio suo secundo genito legitimo *Bernardo la Serrada*, domiciliato in Ciuitate Oscæ Regni Aragonum, viginti ducatos aut bobem eiusdem valoris. Alterum est apocæ de recepto quantitatis dicti legati, mediante suo Procuratore in eadem Villa testificatum. Præterea non solum his, sed etiam alio genere probationis, corroborata manet supradicta probatio, nempe cum dictis decem nouem testibus super articulo decimo septimo. Replicæ oblatæ pro parte dicti Doctoris la Serrada, affirmantiũ cognouisse dictum Bernardum in Ciuitate Oscæ, & alibi, & eum habuisse pro Basco; & non pro Francigena, & quod ille pro tali se gerebat, & asserebat esse Bascum, & non Francigenam, & quod egreferebat quod aliqui ipsum appellassent Francigenam, quæ valde aduersantur, & destruunt probationem contrariam pro parte Iosephi Segura factam, vt saltim ambæ inter se confunduntur. His ergo suppositis clarè deprehenditur validiorem esse probationem dicti la Serrada, qui specificè directe, & per gradus intentionem suam probauerit, & cum testibus de visu deponentibus suam originem, & descendentiam procedere à loco de Lassa Regni Nauarræ inferioris, quæ veritatis appellatur quam Iosephi Segura, qui tantum per reputationem, & famam ostẽderit, quæ quam fallax, & in constans est omnibus patet, & præsertim cũ versemur in materia odiosa obiectiua, in qua secundum Doctorum censuram, non sufficit præsumptiua probatio, sed requiritur per necesse; & valde concludẽs quare prævalere debere Doctoris la Serrada, probationẽ non est ambigendum. Ex eisdem etiam resultare cẽsetur verba, vbi supra relata dictorum pactorum dotalium Bernardi, & eius vxoris Mariæ Boria, nocere minime posse dicto la Serrada, sed imo quasi per errorem, seu obliuionem omissa, & scripta fuisse, quod sæpè contigere solet, & quare non in merito iura proclamant errore veritatem originis non amitti, nec mendatio dicentis esse vnde non sit, & in præsentiatum verosimile videtur, cum appareat Bernardum valde paruulũ in puerili ætate constitutum per venisse ad hoc Regnum, cui de facile potius potuit obliuisci nomina propia patriæ, ac parentum, vltra quod cum ea verba tantum enunciatiua sint, & semel prolata, & si secundum DD. censuram aliqua-

lem

lem præsumptionem inducere valent, eam tamen corruere fateri, necesse est alia potentiori veritatis contraria. Rursus ex eisdem quoque patefit, quam sine causa ne dum probabili opinatur probationem Doctoris la Serrada, falsam, & suppositam fore centendum; & illud inferendo ex quo ex visuris libri Ecclesiæ Parrochialis exhibiti, apparet mutata nomina esse parentum illius nempe *Bernat* in *Bernardo*, & *Mariæ Boria*, in *Bordam*, & quod ad instar præsumendum esse ad ipsum factum fuisse, mutando originem, & supponẽdo alias personas, & nomina avorum nempe *Petrum, in locum Arnaut, & Mariam Vrrutia, in locum Laurentiæ la Casaña.* Nam præterquam ex præfata mutatione dicti libri, nullum commodum resultare potuit dicto la Serrada, vt ei imputari valeat, apparet nullibi dictũ librum vnquam tempore extitisse in eius posse, vnde valde inuerosimile est, quod probatio tot testimonijs de visu, & auditu maiorum, & alijs documentis fulcita sit supposita, & falsa. Tandem neque dicto la Serrada obstare potest ad obtinendum præfatum Canonicatum partem Nauarræ inferioris, esse inditione, & potestate Regis Franciæ, à longissimo tempore vsque in præsens, nempe à tempore fælicis recordationis Caroli Quinti Imperatoris, atque ita quod nati in ea pro Francigenis habendi, & reputandi sint, & sic comprehensi sub prohibitione Fori noude *Prælaturis anni* 1646. in illo verbo *Franceses*, dicti fori. Nam responi detur quod licet verum sit sub potestate, & Imperio Regis Franciæ existere dictam terram, illamque per consequens imperare, & subiectam retinere, non tamen inde sequitur esse partem Regni Franciæ, à quo nati in eo denominantur Francigenæ, sed imo non obstante dicta occupatione dictam partem terræ, semper retinere, & conseruare antiquum nomen de *Nauarra la baxa*, sicuti quando totum Regnum indiuisum erat sub vno Principe, Quare necesse est natos in ea denominari *Nauarros*, & non Frãcigenas sicuti nati in Aragonia, nominantur propie Aragonenses, non Castellani, nec Lusitanus, licet omnes sub eodem Principe sint, & per cõsequens cum in Regno verba secundum propiam significationem accipi debeant inde sequitur attenta propia significatione verbi *Franceses*, non venire *Nauarros*, inferioris Nauarræ secundum propiam significationẽ, quod adeo verum est quod licet nati in dicta parte Nauarræ, alio nomine nempe *Bascos*, nuncupentur nunquam tamen communiter vocantur, nec vtuntur nomine Francigenorum quasi diuersæ nationes separatæ à natione Francorum sint, quod valde vrget, nam ad interpretarionem verborum in omni materia præualet ea, semperq; desumitur à communi vsu loquendi, quod in occurrenti casu probatur non solum cum documentis pro parte Doctoris la Serrada adductis, sed etiam cum exhibitis pro parte Iosephi Segura, vti apparet ex lege edita in superiori Nauarra sub anno 1583. vbi nati in dicta parte inferioris Nauarræ, vocantur *Bascos*, ad differentiam Francigenarum, in illis verbis. *Los Bascos han pretendido no ser Estrangeros.* Et ibi: *Que los Bascos se tengan por estrangeros*, & ibi, *y lo mismo se haga, y entienda con los Franceses.* Ex quibus colligitur liquidissimæ in Nauarra superiori secundum communem vsum loquendi *Bascos*,

non

non venire sub appellatione Francigenarum, nec, è contra quod etiam contigit in Aragonia, vt deducitur ex Annalibus Regni à *Hieronymo Zurita*, elaboratis in vita Catholici Regis Ferdinandi, *libro 10. cap. 52. 61. & 82.* In quibus dictam partem Nauarræ inferiorem, appellat ultra per terram Bascorum, cui propter maximam auctoritatem huius autoris deferetur, & quasi melius informato de propio, & peculiari nomine dictæ terræ, & similiter colligere potest ex Ordinatione Realis Ciuitatis Oscæ exhibita, approbata per Concilium Generale dicta Ciuitatis, & aucta per Commissarium Regium sub anno 1644. in qua exclusis filijs Francigenarum ab officijs illius Ciuitatis expresse admittuntur filij naturalium Nauarræ inferioris Sancti Ioannis Pedis Portus, quibus etiam multum conducit quod notum est in priuilegijs concessis expeditis, per Christianissimum Regem Franciæ, quod se nuncupat Rex Franciæ, & Nauarræ, quasi sint diuersæ Coronæ, & discrimen inter dictos Regnos constituendo, & velle ne confundantur forsan, quia tanquam Rex Franciæ, saltim de facto non recognoscit superiorem, benè tamē tanquam Nauarræ Rex quibus omnibus rectè perpensis, & maturè consideratis infitiari nemo poterit, quod attento propio significato verbi *Franceses*, posito in foro nouo & communi vsu loquendi in hoc Regno, & Nauarræ, nati in Villa parte inferioris Nauarræ non comprehenduntur. Præterea nec etiam si acci piatur dictum verbum *los Franceses*, in lata significatione nempe habito respectu ad vasallagium nati in Nauarra inferiori, comprehendi possunt non debet intelligi de vasallis propijs, & in quibus aliquod habetur dominium nempe directum, siue vtile non vero de vasallis de facto absque vllo iure adquisitis per vim, & violentiam cum non fiant occupantis, nisi in bello iusto, notorium enim est, dominium dictæ terræ non ad Regem Franciæ pertinere, sed ad Dominum nostrum Regem Hispaniæ, vt Historiæ Regni testantur, quod non indiget alia probatione, tam ex Successore Regni Castellæ, cui vnita est à tempore Serenissimi Regis Catholici Don Ferdinandi, tanquam pars Regni Nauarræ, & ab eo ex concessione Apostolica adquisita, quam etiam ex donatione Reginæ Germanæ successoris dicti Regni facta Carolo Quinto Imperatori; ex quo sequitur necessario illam de facto Regem Franciæ occupasse, & absque vllo iure detinere per vim, & violentiam, occupatores enim, & inuasores per vim nullo tempore præscribere, siquidem malam fidem habent in confesso est, atque ideo vasalli prædicti non verè, & propie vasalli Regis Franciæ censendi sint, nisi impropie, & abusiue, bene tamen verè Domini nostri Regis, & ideo pro talibus habendi sunt, qua propter summa cum ratione Dominus noster Rex in tribus suis litteris Regijs exhibitis iubet pro suis vasallis Hispanis haberi, & reputari tanquam si actualiter extitissent sub eius potestate, & vt tales non fore comprehensos sub decretis in dictis contra Francigenos vasallos Regis Franciæ. Et ideo in confirmationem priuilegiorum suorum Curia Iustitiæ Aragonum concessit decretum iurisfirmæ quibusdam natis in dicta parte inferioris Regni Nauarræ sub anno 1644. Ex quibus colligi videtur affirmare minime posse, propter solam occupationem de facto cēsendos fore vasallos Regis Fran-

ciæ, & pro talibus haberi, & non Regis Hispaniæ, ad quem per tot titulos apparet eorum dominium pertinere. Rursus etiam ex eo verba dicti fori censentur stricte, & non late interpretanda, ita vt *Bascos*, comprehendere non valeat, ex quo dispositio illius est odiosissima condita in odiũ particulare nationis Francorum, & hoc vt præsumitur ob bellum præsens per Regem Franciæ, indictum in Principatu Cathaloniæ, aduersus hoc Regnum habendo pro suspectis non solum natos vasallos Regis Frãciæ cum quibus militat, sed etiam filios eorum natos in præsenti, & nascituros, quæ causa odij cessare manifestè cernitur, quoad Bascos, cum & si à Rege Franciæ, de facto compelli possunt, dum sub sua potestate sunt tamen de iure similiter Dominus noster Rex compellere poterit, & cõpellit eos qui in Hispania migrarunt, & degunt, & si nati sint in ipsa Nauarra inferiori, prout in hac Ciuitate, & Regno, ex processu constat Bascos, aliquos militase sub vexillis Domini Regis in hoc bello, & alijs contra Franciam, & ideo pro suspectis non fuerunt habiti. Quare non censẽtur rationem odij, & suspictionis, quæ militat aduersus Francos, militare aduersus Bascos, & multo minus contra eorum filios, qui nunquam vasalli Regis Franciæ, nec adhuc de facto. Præsertim cum conditor dicti fori fuerit Dominus noster Rex, qui eos declarauit per suas litteras Regias, iam supra mentionatas non esse vasallos Regis Franciæ, sed potius esse suos, atque ideo valde inuerosimile est, quod eos voluerit comprehendere in lege tam odiosa sub verbo *los Franceses*. Quos paulo antea in suis litteris declarauerat sæpius, & geminatis vicibus non esse Francigenas, sed habendos esse pro Hispanis, & vasallis suis, nam iuxta DD. censuram interpretationem meliorem esse omnibus, quæ ex verbis Legislatoris deducitur. Præterea nec eos nocere potest si dicatur, quod & si dictũ forus sit odiosus non principaliter, sed in consequentiam cum principalis intentio Legislatorum fuerit respicere securitatem Regni, & vtilitatem cæterorum Regnicolarum in quorum commodum cedit. Nam respõdetur negando forum principaliter non respexisse odium, quia si causã illius editionis negari nequit, fuisse bellum præsens, & bellum ex propia sua natura odium generat per consequens necessario sequi videtur effectum parere sui similem, & re ipsa patet cum effectus sit adimere capacitatem ad honores, & beneficia, quæ iure naturæ, & patriæ competunt verè natis in Regno efficiendo, propiam matrem, & patriam ingratam filijs suis, & cuius amor debet esse dulcis, amaram, & amarissimam, & hoc nõ solum nascituris, sed amplius iam natis tempore editionis fori, & ideo non percipitur quo pacto dici valeat dictam fori dispositionem non esse odiosam, & principaliter respicere fauorem naturalium Regni cum id fit, ambiciosam illam facere, cum iactura aliena, nec securitas opinata cõsequitur, cum illis remanentibus in Regno semper remaneret suspitio contra illos, & si eis amitantur honores, & beneficium, cum diuersitas pariat, imbidiam, & discordiam inter conciues contra bonũ commune reipublicæ. Rursus neque alicuius momenti esse censetur, si dicatur conditum fuisse hunc novum forum addendo foris antiquis de Prælaturis, & ab illis mutuandam esse rationem, & quod sicut illæ sunt fauorabiles similiter

liter

liter & istæ. Nam respondetur quod præterquam in foro nouo nullum est verbum de additione, & si voluissent conditores, expræssissent sicut factum fuit in foro sequenti, re ipsa patet minime per forum nouum addi foris antiquis de Prælaturis; imo ex verbis fori anni 1533. Primo in ordine resultat detrahi potius per forum nouum personas in eo comprehensas, nam ibi statuitur, quod sint capaces indistinctæ, omnes vere nati in Regno, ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & possidenda in quibus fuisse comprehensos filios Francigenarum, vere natos negari non potest; ergo reddendo illos incapaces forus nouus non adheret dispositioni dicti fori antiqui, sed imo tolleret, & detraheret. Tandē quod omnē prorsus tollit difficultatem quo ad effectum, vt necessario sit recipienda propositio Doctoris la Serrada, est quod etiam in casu quo circa intelligentiam fori noui, aliqua adhesset difficultas an *Baschi*, essent comprehensi, necne quod non fatetur, ex quo versamur in materia odiosa, & obiectiua, nempe incapacitatis possessoris in qua secundum DD. censuram non quælibet sufficit probatio, sed exacta, & concludens per necesse, & in cōflictu probationum, quæ inter se confunduntur in ciuili esse, & iniquum pribare possessorem in casu dubio de possessione, in qua pacifice existat tempore litis motæ, ideo merito arbitramur recipiendam fore propositionem Doctoris la Serrada, existentis pacifice in ea dicto tempore his, & alijs attent. content. DVO VERO EX DICTIS MAGNIFICIS DOMINIS REGIIS CONSILIARIIS FVERVNT VOTI, ET OPINIONIS, quod attent. content, tenetur, & debet pronuntiare, & declarare per Iudicem à quo bene fuisse, & esse pronuntiatum, & per Doctorem Ioannem Vincentium la Serrada, princ: Mi. Hie. Rios Proc. male ad hanc Regiam Audientiam appellatum, neutram partium in expensis condemnando cætera supplicata locum non habere. EX EO, & alias pronuntiatur prout in sententia nam constat Iosephum de Segura obtinuisse à Romano Pontifice, gratiam, & concessionem Canonicatus, & Præbendæ Doctoris Hieronymi Arasques, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Oscensis, qui diem clausit extremum decimo quinto Decembris, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi, cumque in præsenti articulo, sat sit tituli colorem ostendere, & exhibitus à prædicto Iosepho, sit summi Ecclesiæ Præsulis dubitari non potest esse ab habente potestatem, & quidem plenissimam: Et quamvis pro parte Doctoris Vincentij la Serrada prætendatur transumptum Bullæ, & Pontificiæ concessionis Iosephi, non esse exhibitum legale, & cui cum originali sit in dubia fides tribuenda, tamen cum agatur de re, quæ etiam à Pontificis potestate dependeat. Consterque apud Scribentes Romanæ huius praxis talibus scripturis fidem semper adhibitam fuisse, huiusmodi stillo adhærendum videtur, durumque satis esset Eminentissimi Cardinalis Esfortiæ, suæ Sanctitatis Procamerarij de illius fide, cum Cameræ Scriba contestantis, aliquid suspicari, eiusque testimonium, & auctoramentum in litem deducere. Quod quod Iure etiam nostro Aragonum, cauetur Prælatorum litteris Sacro sigillo munitis prout præsens transumptum cernitur, non

non secus ac publicis instrumentis esse standum, vt omittamus quæ de originalis Bullæ exhibitione, & in præsentis processus actis collatione testibusque pro fide transumpti dicentibus, satis superque ad hujus rei corroborationem adducuntur. Nec præterea obstat prædictum titulum non esse coram Executore, vt dicitur iustificatum, & subreptionis vitio laborare, vt sic nulla de eo ratio habenda sit, nam quamvis in præsenti articulo multa iungi possent, non videtur multum inmorandum in iudicio altioris indaginis exceptiones excludente; satque Laicis Iudicibus deferri, si circa beneficialia iura apparentes, & colorati dicunt tituli, exhibeantur, vt secundum eorum continentiam, absque meritorum examine quod Ecclesiastici Ordinis est indecissum ferant, præsertim vbi patriæ leges de alienigenis latæ, adeo stringunt vt de illorum titulis, & possessione, seu quasi nulla sit habenda ratio, sed qualis qualis sit indigena præferatur, ac tum denique quod pars Doctoris Vincentij la Serrada, dum aduersus Iosephum Segura, decreto Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum se præ nuniuit Executori Bullarum dicti Iosephi, inhibendo virtute capitis *causæ omnes*, Sacri Concilij Tridentini fuit in causa, vt ob id impedimentum Iosephus, per edictum apprehensionis ab eodem Vincentio obtentæ vocatus, intra præscripta fori tempora exactius de suo iure docere non posset, huiusmodi enim subterfugijs, & protelationibus ocurrendum est, quia propitijs auribus auditur, quod affectata remedia non prosint, neque enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet. Repellitur vero propositio Doctoris Vincentij la Serrada, nam ex forali placito anni 1646. sub rubrica de Prælatutis, *Galli*, vulgo *Franceses*, filij, & nepotes eorum per paternam lineam descendentes, vt alienigenæ, & Francigenæ ab obtentione beneficiorum, Dignitatum, & Prælaturarum præsentis Regni, arceantur, & excluduntur cumque etiam appareat prædictum Doctorem Vincentium la Serrada, patrem, & avum habuisse natum in loco de Lassa inferioris, vt vocant Nauarræ videtur diceddum ipsum tanquam ex Franciæ descendentem, sub mente, & littera fori, fore comprehensum quod ex infra dicendis non obscure deprehendi posse existimamus, & vt apertius demonstretur meminisse iuuauit Elementares fere omnium Prouinciarum leges tanquam quid à natura insitum statuisse, vt beneficia, & officia indigenis potius quam alienis committantur, omne hac in re cum exteris communionem prohibentes, nec tantum apud prudentissimos Legislatores id videmus commendatum, & stabilitum, sed & in ipsis quoque apibus rationis expertibus rex de suo se legitur agmine, nec exterum præficitur, quod si alicubi magnæ curæ fuit summæ, & exiniæ in hoc Aragonum Regno, tum in antiquissimis Suprarbiensis initij legibus cum in sequentibus, & posteriotibus seuerissime cautum videatur, vt vix aliquis ex Serenissimis, & Felicissimis nostris Aragonum Regibus, sit vnus qui foros dederit, qui non etiam plenius, & vberius prædictam exterorum interdictionem non comprobauerit, ex quo ne singula per sequi laboremus, vltra quam scitum est, satis & vulgare manifeste conuincitur quantum sit hac in re ipsorum regum stu-

dium

dium indigenarum fauor, Regni quies, & tranquillitas, non enim quod seuere actum videatur circa Francigenas ortos, aut oriundos intra tertiũ gradũ terrere nos debet, vt potius odiosum quam fauorabile præsentis legis placitum iudicetur; de antiquis enim foris, citra hunc in quo versamur consentiunt omnes fere, tam Circulares, quam Exteri Auctores, & quamvis hæc nostra seuerius exerceat iuditium in filios, & nepotes, non absimilis tamen videbatur antiquior consuetudo, qua Serenissimi nostri Reges, non alias ad Richorum hominum Dignitatem aliquem promouebant, quam si patrem, & auum habuisset non solum in Regno natum, sed & familiarem, & domesticũ vulgo *Mesnaderos*, nec alieni Regis vasallus fidẽ tenuisset; cum enim Magnates hi, vt plurimũ regia negotia tractarent officia gererent in Regijs quoque sumptibus, & honoribus alerentur bellicæ adquisitionis participes, merito tanta in illis seligendis inquisitio placuit cum quibus bene conuenit, quod apud obseruantiam Regni scriptum reperitur, *quod terram pro honore non debet dare Dominus Rex, nisi illi qui ex natura debet esse Richus, & qui non sit de Regno alieno*; similis etiam apud Marsilienses lex fuit, apud quos iudex nemo creatus fuerat, nisi qui de ciuium sanguine per tertiam generationem ortus esset, & quamvis Romuli sapientia commendetur, qui plerosque populos eodem die hostes, & ciues haberet, & Regi in oculis præcipue frequentia, & multitudo ciuium fundamentum omnis potentiæ, & diuturni status, nec tamen apud eosdem Romanos nouiores, hi ciues statim dignioribus, & veteribus æquiparati, sed in quatuor vrbanas tribus reiecti fuere, inuentaque ratio, vt minimum in suffragijs, aut alia publica repolleret, quin, & à militia legionaria, & honestiore exclusi sunt, donec paulatim nepotes, ac pro nepotes, eorum verè iam Romanus sanguis peruenirent, ac proinde vt hæc omittamus concludendum est in similibus legibus potius Aragoniensium fauorem expectandum, quam exterorum generationi intra præscriptum gradum consulendum; Sed iam medullitus rem introspiciamus, & disquiramus, quæ ratio esse possit, cur Dominus Rex talem legem dixerit; cur tam seuere? vt fertur in Francos filios, & nepotes illorum se habuerit, de scripto tamen, nisi ad antiquiores Foros recurrimus haurire eam non possumus, & si amplius qualis fuerit perscrutetur, certè, illa præsumenda erit, quæ verosimilius prudentissimum Legislatorem ad talem sanctionem promulgandam mouere potuisset, cumque in prædicto anno 1646. Adeo bellum grassaretur ex parte Christianissimi Regis Francorum, aduersus CatholicumRegem nostrũ, & eius amplissimæ Monarquiæ vasallos Regnumque hoc fidelissimum tot Frãcorum incursiones, hominum strages, & incendia sustinuerit, quibus adeo se Francorum gens hostiliter exercuit, mirum nemini videri debet, si liceat coniectari in re tot bellicis pro clamatibus tot experientissimis testimonijs comperta ad fælicem statum Regni magis conuenire, quod Aragonienses Francigenis filijs, & nepotibus eorum, etiam in Regno natis, ad Regni beneficia, & munia obtinenda, & subeunda præficiantur, & præponantur, ex qua verosimili, & præsumpta ratione colligi satis videtur verbum illud *Franceses*, ad vasallos, & subiectos fidelitatis iure Franco-

corum regi referendum, cumque hoc in numero non minus ope, & consilijs quam cæteri Francicæ ditionis vasalli Vascones, hi censeantur, idem ac de cæteris iudicamus, constat enim partem illam Nauarræ inferioris, adeo esse Bearnensi Principatui, & sic FrancicoDomino mancipatam saluis Potentissimi, & Catholici Regis nostri iuribus, vt in ea tanquam in limitrophis Castellis militares excubiæ vigilent, & opugnent, liberũ additum præcludentes. INCOLÆ SANCTI CONCILII DECRETA NON SERVANT, SANCTÆ CRVCIATÆ BVLLAM NON QVÆRVNT, TRIBVNAL SANCTÆ INQVISITIONIS NON VIDENT, QVARTAMDECIMAM, SVBSIDIVM, ET EXCVSATVM NON PENDVNT, PALENSI IVRIDICO CONVENTVI OBTEMPERANT, REGIA IVRA FRANCIÆ REGI PER SOLVVNT, ET TAM IN REBVS ECCLESIASTICIS, QVAM SECVLARIBVS, IN OMNIBVS ET PER OMNIA VT GALLI CÆTERI VTVNTVR, ET GAVDENT, QVOMODO ERGO DVBITARE POSSVMVS, AN, ET HI FRANCORVM NVMERO ADIVNGENDI SINT CVM, ET IN EIS, ET STATVENTIVM MENS, ET VERBA SVBIECTIONEM DENOTANTIA CLARE ID DEMONSTRENT, quo in sensu Frãcus verè est qui Frãcico paret imperio, & si cõtentio est quod Vasco Hispanus sit, quomodo duorũ dominorũ eodẽ tẽpore, & forma fidelitatis vasalli esse possunt Vascone? aut enim necesse est quod Hispani sint, aut Frãchi, pugnant enim satis inter se vtriusq; Regis, & nationis vexilla, & mores, nõ Hispani qui Hispaniã opugnant, Franco igitur eos esse ambigendum nõ est. Accedit simili mente, & loquendi formula comprehensos videri huius regionis, homines nam in foris auri, & argenti, exportationem inhibentibus palam edicitur, ne prædicta metalla rudia, aut cusa ad Regna Frantiæ euehantur, quis ergo dicet ad hanc Vasconiæ partem exportationem permitti, tanquam ea intra Hispaniæ fines comprehensa sit, huiusmodique comertium cum incolis liberum, Certum autem est, non minus easdem rationes quibus Legislatores moti fuerunt ad stabiliendos foros de Prælaturis, in prædictis auri, & argenti exportationibus cohibendis satis militare. Præterea in hac ipsa qua de agimus materia per Serenissimam Reginam Mariam, & per Imperatoriã Maiestatem Caroli Quinti, declaratum inuenimus, exterorum nomine comprenendi illos, qui in amplissima Domini Regis Dominatione, & terris ortum nõ meruissent, ita enim dicitur, *Como sean naturales de las tierras, y Señorios de su Magestad.* Itaque Legislatorum mens, non tantum respexit ad materialẽ locũ, & originem personarum, sed etiam ad hominiũ, & vasallagium illorum, ac proinde sub hoc verbo *Franceses*, Regis Frantiæ vasallos omnes comprehendi, ceu exteros sic inhabiles arbitramur, ad idem quoque, quod notandum satis est, respicit apertissimè Nauarræ lex anno 1583. rogata in qua huiusmodi dubitato declaratur sub his verbis. *Por las leyes deste Reino està ordenado y mandado, que los estrangeros no sean admitidos en este Reino en oficios, ni benefícios; y sin embargo de esto los Vascos han pretendido no ser estrangeros, y que pueden tener oficios, y benefícios en este Reino, Y PVES ELLOS SON SVBDITOS, Y*

VA-

VASALLOS DE OTRO PRINCIPE, suplicamos a V. Magestad ordene, y mande interpretando las dichas leyes, ò como mejor lugar tuuiere, que los tales se tengan por estrangeros, y no se admitan en este Reino en oficios, ni beneficios, Vicarias, y pensiones a los que las tuuieren, y se tomen a mano Real los frutos dellos, y lo mismo se entienda y haga con los Franceses: a lo qual respondemos, que se haga lo que el Reino pide, excepto con los Vascos que al presente tienen beneficios, y pensiones, ò Vicarias en este Reino, con los quales no se ha de entender, hasta que ayan vacado los tales beneficios, pensiones ò Vicarias. Ex qua lege satis euincitur ex parte Domini Regis, & ex Nauarrorum rogatu, ea potissimum ratione *Vascos*, ab eorum officijs, & beneficijs excludi voluisse, quod hi alterius Principis subditi, & vasalli essent, *y pues ellos son subditos, y vasallos de otro Principe*, quæque cum fororum nostrorum placitis æque conuenire videtur, quibus vt præ diximus arcentur alterius Principis subditi, & vasalli, hoc est, *no naturales en las tierras, y Señorios de su Magestad.* Et hanc legem apud Nauarros vigere pluribus testibus de illius obseruantia deponentibus comprobatur, vltra quam, & excussa tipis, & in aliarum prædicti Regni volumine cõtinetur, quibus accedit tam apud Cosmographos, quam apud Historiagraphos, & secundum communem hominum existimationem Vascones, pro veris Francis haberi, vnumque corpus cum Frantiæ Rege, cęterisque vasallis componere, circa quam existimationem licet omitamus geminatissimam ipsius patris Doctoris la Serrada confessionem, qua se Francum profitebatur, & plurium quoque testium optimæ notæ testimonia, quibus idem comprobatur, pro parte Iosephi Segura, illud nobis magni momenti esse videtur, quod in idem incidit, & comprobat testimoniũ nempe Status omnes Regni Nauarræ, prout in prædicta lege conspicitur Vascones, exteros iudicasse, & tenuisse, eorumque supplicationi Regis placitum adiunctum, quæ enim maior fides hac in re exquirenda est, non vnus aut alter, Regnum totum, & quidem caput, & membra illius corporis, membrũ aliud, sextam scilicet partem respuẽs, & discecans, vt alterius Regis hominiũ profitente, si enim ab hominum existimatione, quis originem posse probare certum est, vnde melius hanc probationem deducere poterimus, quam ex opinionibus, nõ tam circumcolentium, quam eorundem Regnicolarum in quibus, & rerum notitia, & propter antiquiorem coniunctionem strictius amoris vinculum elucebat. Vlterius in hac re animaduertendum videtur, vt in iuribus Regnicolarum, cum aliorum Regnorum incolis, & vasallis par ius constituatur, cum prima pars æquitatis sit æqualitas, quamque paritatem inter Cathalanos, olim & Aragonenses, vtriusque Prouinciæ leges in officijs considerarunt, & in alijs rebus non semel in foris nostris inueniemus expensam, quo supposito, si Aragonensis in Frantiam migrasset, certum est, ceu alibi natum intestabilem efici, etiam filios & nepotes habentem: nihil ergo mirum, si eadem æqualitate, eadem iustitiæ, statera illorum ius metiatur, in quo albinagij durior conditio videtur, nam cum albinati Fiscum successorem experiantur, fit inde, vt vix sit Hispanus, qui lares suos apud Francos colere vellit, sed vel tantum sua limina hospes salutare, proindeque

nul-

nullis ibi filijs, aut nepotibus ſuſceptis, nec officia, aut beneficia ab Hiſpania oriundis conferantur, quare merito albinagium aquæ, & ignis interdictioni, aut miſerrime latinorum conditioni vitam, & libertatem vno halitu amittentium merito comparatur, QVID QVOD SI PORTVS HIC APPETITVR VERENDVM EST, NE VLLVS SIT FRANCVS QVI AD ILLVM NON APPELLET, ET TANQVAM AD ASYLVM NON CONFVGIAT, AVT CONFVGERE TENTET FORVM LITIBVS INVNDET, ET FORSAM IN FÆLICIBVS, quæ omnia explicari vix poſſunt, ob idq; lebiter attigiſſe ſufficiat, SI VEL PRÆSENTIS LITIS PROBATIONES DISQVIRANTVR, ET MEDITENTVR QVAM PVGNANTES SVSPECTÆ, ET INFIDE INTER SE SVNT, NEC TANTVM QVÆ TESTIBVS, SED QVÆ INSTRVMENTIS PROPIOQVE ORE MANANTES; & ſi Baſconum origo in litem deducitur cum originis exactio præſumatur probatio, qualis in futurum experienda, quæ à teſtibus domeſticis, ac itidem patrijs, & ſuſpectis haurietur quæ inconuenientia, & fraudum ſeminaria vitanda omnino, eſſe ex fororum noſtrorum placitis ſatis admonemur. Quibus ita perpenſis, & ex animi ſententia depromptis non obeſſe exiſtimamus, quæ in aduerſum proponuntur, nempe regionem, hanc Vaſconum, ſaltim hanc ſextam partem quam *Merindad del Pie del Puerto*, vocitant vna cum cæteris Regni Nauarræ partibus poſt fælicis Catholici Regis noſtri Ferdinandi adquiſitionem, Caſtellæ Regnis adiunctam, & incorporatam fuiſſe, & quamvis progreſſu temporis ceu diſitam, & Pyrineis montibus a reliqua Nauarra, diſcinctam Sereniſsimi noſtri Reges, nõ cõſeruauerint, nõ tamen ceu Francos eius pagi acolas exiſtimãdos, & habendos eſſe. Nam breuiter reſponderi poſſe cenſemus, quod licet non negemus eius cum cæteris partibus Regni Nauarræ, vnionẽ prædictã. Cæterum quod ſecundum præſentem ſtatum cum Bearnenſi Principatui ſint adiũcti, & intra Coronam Frantiæ mancipati, non ſecus ac de alis Francis, de illis iudicandum videri, nec enim dum in ea conditione ſunt dici poſſunt vaſalli Domini Regis, ſed alterius Principis, & ſi alterius, iam exteri, & peregrini, & quemadmodum ciues Romani, mutata illorum conditione per capriuitatem non potiebantur iure Romano, ſic de his vaſallis ea in conditione manentibus dici poteſt: Minus obſtat quod de propietate verbi *Franceſes*, adducitur vt ſub ea Vaſcones non comprehendantur, tum quia Nauarri vocantur, aut Vaſcones, & in prædicta lege Nauarræ quaſi alij a Francis nominantur, tum & ex loquendi vſu noſtrorum Annalium ſcriptoris alijſque in hanc rem a geſtis argumentis, nam obſeruandum eſt in nomine collectiuo *Franceſes*, Francorum Prouincias numerari, tanquam ſpecies in genere contentas, quod longe diuerſum eſt, vt probet ideo Vaſcones, non eſſe Francos, quod hoc diuerſo nomine nuncupentur, nam bene eſt quod ita ſe habeant, & nominentur ſi ſpeciatim de illis ſit ſermo, ſecus ſi generatim, alias diceremus Tholoſates, Bearnenſes, & alios Francorum Regis ſubditos, & vaſallos Prouinciales non eſſe Francigenas, noſtriſque foralibus legibus præſeruari, quod menti, & rationi fororum repugnare, quis non videt. Præterea Nauarræ lex in-

concina videretur, si non ita; nam cum Vascones, exteris æquasset non poterat dubitationem exprimere, si alio vteretur vocabulo, ex quo enim Vascones, opinabatur eiusdem esse conditionis ac Francos, tanquam sub eodem Principe non poterat dicere, *que los Franceses pretendian no ser estrangeros*, nam in his nulla erat dubitatio igitur quo melius, & præsius illam exprimeret, speciali Vasconum nomine vsa fuit. Minus facit quod de *Zurita* nostro comminiscitur, nam quod terram Basconum regionem hanc Vocet, vocat quidem suo more; id est erudite, nam & plures sunt Vasconiæ intra Aquitaniæ fines comprehensæ, sed hæc ad Cosmegraphorum iuditium relinquamus; nec etiam facit quod Vascones hi non sint plene, & propie homines, & vasalli Regis Franciæ, cum potius incumbat quasi possessioni illorum Christianissimus Rex, & illos retinendi, & recuperandi ius pluribus rationibus Catholico Regi nostro competat; quia hac in re certum est, nec dubitandum, regionem hanc ad Dominum nostrum Regem pertinere, sed in proposito hæ controuersiæ cum inter Potentissimos Reges, non tam legibus, quam armis decernantur quærendum nō est de iure regum, sed de ipsorū vasallagio, non enim quod Francus, qui iniuste retinetur ad Hispaniam aduentans exquirit, an iuste, an iniuste vasallus sit, imò nec illius est de iure subiectionis existimare, & causam Regis pro suo ingenio decidere; vltra quod fides amor, & societas, cum cæteris eiusdē gentis hominibus æquabiliter federantur, nec est cur minus nos in suspitionem trahant hæc; quæ ad factum referuntur in propria significatione verbi *Franceses*, magis comprehendi vtpote non ciuiliter, existimamus, & quamvis Serenissimus noster Rex, pro singularibus quibusdam Vaschis illorum precibus, & forsam importunis, referatur scripsisse, non debere illos comprehendi, sub opignorationibus quibusdam; nec quod alius emilitum Hispanorum matricula Berdunēsis Præsidij expungeretur, irrogauit forsam personis illorum ius singulare constituens aut etiā si illos, vt Hispanos tractari omnino intelligatur. HOC NVNQVAM PROTRAHENDVM VIDETVR AD PRIMOGENITORVM VASALLORVM DIMINVTIONEM, ET PRÆIVDITIVM, NON ENIM ILLI SVPPETIAS FERVNT; VITA, OPE, CONSILIIS, TOTISQVE CONATIBVS, NON ECCLESIAS HISPANIÆ DOTANT, AVT DITANT NON ALIIS FIDELIBVS LARGITIONIBVS PROSEQVNTVR. Accedit in his foris de singinarum iure loquentibus non satis videri quem esse habendū pro Hispano, sed vere Hispanum esse, quemadmodum in statutis non sufficit quē haberi pro ciue, si ciuis esse debet, quia fictio repellitur, veritas amplexatur. Et tandem atento tempore quo prædictæ epistolæ fuerunt expeditæ, & transmissæ, & quo prædicti fori editi fuere, tribus nempe adminus annis à postremo decursis gliscentibus, & recrudecentibus bellis, quid mirum, quod Serenissimus noster Rex totiusque Regni nostri Status tot hostilibus facinoribus prouocati, & instigati aliud de Francigenarum gente sentirēt, & patientiæ, aliquid vltra redderent vellentque officiarios, aut beneficiarios Aragoniæ non ex nouis acoleis, sed ex antiquioribus, & probatioribus seligendos, & creandos esse, ex quo iam insurgit omnem

odij considerationem erga Francigenas, eorumque tertiam prolem vigẽtem amore antiquorum Aragonensium, eorumque successione compensari, vt eo habito respectu, tanto magis fauorabiles iudicentur sanctiones, hæ, quanto magis inter est Regiæ celsitudinis, & Aragonensium tranquilitatis, quæ adeo etiam circa antiquos foros de Prælaturis, habita fuit, vt etiam exteros iam beneficijs institutos destituerent, bienio permutationibus, aut translationibus beneficiorum cum incolis designato, quod licet durius videri posset, non minus tamen Serenissima Regina Maria, eiusdem fori initium, ita dictandum iusit, *como por los prædecessores del Señor Rey de loable memoria, por grandes, è vrgentes razones, amor, è fauor muy justa, è razonables de sus jusmessos, è vasallos.* (Aurea sanè verba ad superius quoque institutum confirmandum,) *vidientes ser cosa desigual, è incomportable, que las Prælaturas, Dignidades, è otros beneficios, è oficios Eclesiasticos, fundados, è dotados, fundadas, è dotadas por ellos, & prædecessores suyos, è nuestros subditos, sian por hombres estrangeros, è de estraña, ò estrañas naciones possedidos, de que en los tiempos passados se han seguido grandes daños, escandalos, è inconuenientes irreparables, por los quales tirar, & de toda ser cesar los inconuenientes, daños, escandalos, debates, è perjudicios q̃ de aquellos se son seguidos, ò se siguen, ò porian seguir, è por satisfazer a la indemnidad del Reino, è del Señor Rey, è nuestros subditos, è vasallos &c.* Et tandem non obstat quod fuerit in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, latum decretum quo Vascones admissi fuere pro Hispanis, nam vltra quam illud fuit latum ante editionem præsentis fori, vix est vt casum nostrum pertingere queat, quin imò contraria sententia si non expanditur, expenditur satis, & adumbratur ex verbis aresti præsentis causæ, illis. *Vltra quod quanda fuissent* pater nempe, & avus Vascones, *non caret magna difficultate, quod in præsenti obtinere potuisset*, nempe Doctor Vincentius la Serrada, *cum Prouincia Regni Nauarræ, vulgo la baxa, loci de Lassa Sancti Ioannis Pedis Portus, in quo patrem, & avum vult includere extra dominationem Domini nostri Regis existat plusquam centum anni s, & non sit pars eius Coronæ, & Monarchiæ, imò sit in dominio, & potestate, & pars Coronæ, & Monarchiæ Regis Francorum*, quamuis deinde interserat verba illa, *in quo cum necessarium ad præsens non sit nostrum non interponimus iudicium*, ex quibus ita videtur, & alias att. cont. &c.

SIG†NVM mei Gabrielis Francisci Garces Scribæ mandati suæ Maiestatis, in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, qui huiusmodi vota & motiua à libro Regij Consilij Ciuilis Regiæ Audientiæ vbi continuata existunt, extraxi, & fideliter comprobaui, constat de correctis vbi legitur, &, vim, ref. inf. pirineis, in quorum fidem hos meo solito signo signaui, &c.